



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

5. An dentur naturæ vniuersales Metaphysice.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

nentem, quod res determinabilis magis late pateat quã determinatum, sicut animal magis late patet quã homo, & homo quã Petrus: certum est autem naturam Michaëlis specificam non magis late patere, quã ipsum Michaëlem, in sententiã aduersariorum, quã modo supponimus, licet sit falsa:

Nō omne predicabile de aliquo debet predicari de illo ut aliquid ex quinque predicabilibus.

Ad confirmationem respondeo negando consequentiã; neque enim necesse est ut quicquid predicatur de aliquo formaliter, predicetur formaliter de ipso per modum alicuius ex quinque predicabilibus Porphyrianis: nam quando aliquis concipit animal, ut principium sentiendi, & concipit ipsum inesse Petro, non concipiendo ipsum ut communicabile pluribus speciebus, aut ut incommunicabile, profecto non predicatur ipsum de Petro ut genus, aut species, aut differentia, aut proprium, aut accedens: sufficit ergo quod omne quod predicatur formaliter de aliquo, possit predicari de ipso, vel ut quid singulare, vel sub aliqua ratione vniuersali ex illis quinque rationibus: hoc autem esset verum in proposito, quia illa natura posset concipi ut immultiplicabilis, & ut sic predicari de Michaële, ut singularis natura, prædicatione formæ constituentis.

Respondere posset secundo negando secundam consequentiã: quia licet predicaretur, ut species, non tamen ut vniuersalis, quia si daretur aliqua natura essentialis, quæ non esset multiplicabilis, illa natura posset vocari species, & tamen non esset vniuersalis. Quod si daretur aliqua autoritas aut ratio, quæ probaret omnem naturam specificam debere esse vniuersalem, id non proderet aduersariis; quia ex illa ipsa ratione aut autoritate probaretur naturam Michaëlis esse vniuersalem, atque adeo multiplicabilem numero, & qui id negaret, ut negant Thomistæ, opponeret se illi rationi, aut autoritati.

QVÆSTIO V.

An dentur naturæ vniuersales metaphysicæ.

57. **H**æc quæstio ex dictis faciliem habet solutionem, & propterea data opera hucusque differenda videbatur. Pro clariori tamen eius notitia aduertendum est quod duplicem possit habere sensum: vnum, ap naturæ vllæ dentur à parte rei, quæ vere denominari possint vniuersales in essendo: secundum, an, ut vniuersales formaliter, dentur à parte rei independenter ab operatione vlla intellectus, seu an ipsa vniuersalitas detur à parte rei: & loquimur iam de vniuersalitate metaphysica.

Prima sententia.

Circum primam partem quidam ex antiquis Philosophis, ut *Cratylus* & *Hesiodus* existimauerunt nō dari vllō modo rem aliquam aut naturam, quæ vere denominari possit vniuersalis in essendo. Alij verò ut *Plato* (si tamē non imponat ipsi *Philosophus*, ut putant nonnulli) concedunt dari naturas vniuersales, sed illas volūt esse extra singularia, & ab illis distinctas realiter: & quidē à priori sententiã, non longē videntur recedere *Nominales*; dū aliud vniuersale negant, nisi quod est vniuersale in representando, ut vox *homo* v. g. aut conceptus formalis, quo concipimus hominem. Communis tamen sententiã est Peripateticorum omnium, exceptis *Nominalibus*, dari in indiuiduo quolibet reali finito naturam, quæ vere denominari possit vniuersalis, & sit identificata illi indiuiduo. Et sane capiendū naturam vniuersalē, prout nos explicuimus ipsius unitatem ac aptitudinem quæstionibus præcedentibus, nec ipsi *Nominales* recederēt ab hac sententiã, quia, ut paulo ante animaduerti, eatenus negauerunt dari vllam naturam vniuersalem in essendo, quatenus intellexerunt per naturam vniuersalem in essendo aliquam vnā positū naturam, quæ eadem positū secundum se formaliter posset vere & positū inexistere multis: & in hoc sensu verum est non dari naturam vllam nec existentem actu, nec possibilem, quæ aut sit à parte rei, aut vlla ratione denominari possit vniuersalis; vnde patet non esse tam absurdam eorum sententiã, quã communiter existimatur, nec inter *Nominales* aliam esse cum alijs Doctores, quã de nomine controuersiam.

Secunda.

Tertia.

Circa secundam partem huius quæstionis communis sententiã tenet non dari à parte rei naturā, quæ sit formaliter vniuersalis metaphysicē, licet detur natura vniuersalis metaphysicē fundamentaliter loquendo.

CONCLUSIO I.

58. **Datur à parte rei independenter ab omni operatione intellectus natura, quæ vere denominari possit vniuersalis in essendo.** Hæc est iuxta communem sententiã cum *Doctore 2. dist. 3. quæst. 1.* & *D. Thoma lib. de ente & essentia c. 4.* contra illos antiquos, & contra *Nominales* etiam quantum ad nomen. Probatur breuiter ex dictis, quia per naturam, quæ denominari possit vere vniuersalis, nihil aliud intelligimus, quã naturam per se vnā, quæ possit esse in pluribus indiuiduis cum sui multiplicatione, quatenus potest habere plures naturas sibi similes in prædicatis essentialibus, sed est certum non implicare huiusmodi naturam, imo in quolibet indiuiduo creato, saltem materiali, dari de facto huiusmodi naturam, & nominatim in Petro, & Paulo, Bucephalo, &c. ergo dantur naturæ, quæ denominari possunt vniuersales. Nolo uti pluribus rationibus ad probandam rem clarissimam, & de qua hoc modo explicata non potest esse controuersia. Quod autem nihil aliud significetur per naturam vere vniuersalem, quã natura huiusmodi, non alia indiget probatione, quã communi Doctorem sensu sic accipientium naturam vniuersalem in essendo: à quo male recesserunt *Nominales* sibi statuentes aliam acceptionem vniuersalis in essendo, & excitantes quæstionem de nomine.

Datur à parte rei natura quæ vere denominari possit vniuersalis in essendo.

CONCLUSIO II.

59. **Non datur vlla natura realis extra singularia seu ab ipsis realiter separata.** Est cōmunis contra *Platonē*, qui supponitur tenuisse oppositū, quamuis ab aliquibus à tali errore vindicetur, nec reuera sit verisimile virum doctissimum sententiã tam improbabilem tenuisse.

Non datur natura vlla extra singularia.

Probatur conclusio primò, quia nullum est indicium, nec vtilitas istarum naturarum separatarum à singularibus, ergo non sunt asserendæ.

Dices vtilitatem ipsarum esse quod sint æternæ. Contra: nulla creatura est æterna quoad aliud esse, quã esse possibile: sed illæ naturæ quoad esse possibile possent esse æternæ, quamuis essent identificatæ singularibus, sicut & ipsa singularia sunt ab æterno possibilia: ergo ob æternitatem, quam habent, non debent dici distinctæ realiter à singularibus.

Probatur secundo: si detur natura aliqua separata à singularibus, verbi gratia, natura humana, vel illa natura est diuisibilis in plura cum multiplicatione, vel non est: si non est, ergo est singularis, nihil enim intelligimus per naturā singularem, quã naturā sic indiuisibilem, & sic non datur natura vniuersalis, quæ realiter nō sit singularis, quod est nostrum intentum: si est diuisibilis aut est diuisibilis in plures partes integrantes, & hoc non impedit quominus sit singularis, Petrus enim, qui est singularis, potest diuidi in plures partes tales verbi gratia, in manus, pedes, caput: aut est diuisibilis sic, ut ipsamet eadē totaliter positue sit in pluribus indiuiduis, & sic nō multiplicaretur in illis; sed esset eadē numero singularis natura in pluribus indiuiduis, & cōsequenter nō esset diuisibilis, sicut nec vnum corpus positum in duobus locis esset diuisibile, aut anima vna informās plures partes corporis est diuisibilis formaliter loquendo.

Probatur tertio: Non datur vlla natura humana realis, nisi illa quæ prædicatur de Petro & Paulo, ac reliquis indiuiduis humanis, dum dicitur quod Petrus sit homo, & Paulus sit homo: sed nulla natura realiter distincta ab omnibus illis indiuiduis sic prædicatur de ipsis, sed potius natura humana ipsis identificata realiter; ergo non datur natura illa separata realiter ab indiuiduis.

Omitto argumentū cōmune: nimirum quod quicquid creatū existit realiter debet esse productum per actionem singularem, & consequenter esse singulare: quia qui teneret dari aliquid reale non singulare productum à Deo, diceret consequenter actionem, per quam produceretur, non esse singularem, sed vniuersalem, nec est

Probatio communis reiectur.

H 3 magis

magis absurdum; aut difficile dari actionem exeuntem à Deo, quæ non sit singularis, quàm dari aliquam naturam realem ab ipso productam, quæ non sit singularis, ynde fortassis in hoc argumento petitur principium, aut probatur id quod queritur, per medium æquè obscurum.

61. *Obiicies* contra primam conclusionem: Quidquid est in mundo, aut actu existens, aut possibile, est singulare, vt patet ex secunda conclusione; ergo non datur aliqua natura, quæ verè denominari possit vniuersalis; illud enim quod est singulare, non potest verè denominari vniuersale.

Respondeo breuiter distinguendo antecedens: simpliciter & realiter loquendo, concedo; secundum quamcumque formalitatem, aut considerationem, nego antecedens, & nego etiam consequentiam; ad cuius probationem dico illud quod est singulare simpliciter & realiter posse secundum aliquam formalitatem & conceptum verè esse, ac denominari vniuersale.

Dices: ergo Petrus potest denominari vniuersalis.

Respondeo distinguendo consequens: secundum aliquam formalitatem in ipso repertam, nimirum secundum quod homo, aut animal, aut substantia, concedo; absolute, & simpliciter, aut secundum quod Petrus, nego. Itaque si consideretur Petrus secundum quod est talis natura, vt possit reperiri alia res tam similis illi in natura, nimirum Paulus, vt intellectus possit habere aliquem conceptum determinatum de vtriusque, quem non potest vni potius applicare, quam alteri, tum Petrus consideratur vt vniuersalis; si vero consideratur Petrus, quatenus reuera non est vlla alia res, nec multiplicabilis in plura, de quibus reuera positiuè & formaliter prædicatur, vt sic erit singulare: non est autem inconueniens quod habeat vtramque hanc rationem, & quod sub vtraque considerari possit. Quæ solutio videtur mihi realissima solutio præcedentis difficultatis; ad quam alij authores alio modo & fortassis etiam bene respondent.

Obiicies secundo: secundum Philosophum 3. Met. tex. 20 & 7. Met. tex. 45. vniuersalia non sunt substantiæ, sed conceptus substantiarum; ergo non dantur vniuersalia in essendo.

Respondeo negando consequentiam: quia solum Philosophus intendit, vniuersalia non esse substantias, id est per se existētes extra singularia, sicut voluit Plato: quod patet ex rationibus, quibus vitur ad prædictam doctrinam probandam, & hoc ipsum voluit significare cap. de substantia, quando dixit secundam substantiam significare hoc aliquid, quia scilicet secunda substantia existit in singularibus sic, vt de illis prædicari possit.

CONCLUSIO III.

62. *Si per naturam formaliter vniuersalem metaphysicè intelligatur solum natura in se vna, & apta esse in multis, datur à parte rei natura non solum, quæ denominari possit vniuersalis metaphysicè, sed etiam quæ reuera est sic vniuersalis: si vero per naturam formaliter vniuersalem metaphysicè intelligatur natura abstracta per intellectum à singularitatibus, seu non considerata vt singularis, non datur natura vniuersalis metaphysicè à parte rei, sed solum fundamentaliter, & melius dicitur absolute, & simpliciter quod non datur natura, quæ sit à parte rei formaliter vniuersalis metaphysicè. Hæc mihi in re videtur communis, & probatur prima pars, quia reuera natura humana Petri est vna in se, & apta esse in multis eo modo, quo vlla natura vniuersalis potest verè esse in multis, ergo, &c.*

Probatur secunda pars, quia reuera à parte rei natura non est abstracta à singularibus, sed est tantum abstrahibilis: ergo non erit à parte rei formaliter, sed solum fundamentaliter vniuersalis metaphysicè, si requiratur ista abstractio.

Probatur denique tertia pars, quia Doctores communiter dicunt non dari vniuersale metaphysicum à parte rei formaliter: ergo signum est quod communiter intelligatur per naturam sic formaliter vniuersalem naturam abstractam; in quaestione enim de nomine, qualis est hæc, simpliciter melius loquitur quis cum communi, Doctorum, & dicit naturam fieri vniuersalem

metaphysicè formaliter loquendo per actum intellectus.

63. *Et si quæras, per quem actum*: Respondetur breuiter per omnem illum actum, quo concipitur abique singularitatibus, siue sit rectus, siue reflexus, siue comparatiuus, siue simplex. Sed aduertendum quod licet fiat vniuersalis per omnem talem actum, nihilominus non intelligitur vt vniuersalis formaliter per omnem talem actum, nam quando quis considerat naturam humanam vt naturam præcisè, non considerando ipsam, neque vt aptam esse in pluribus, neque vt ineptam, abstrahit ipsam à singularibus, & facit ipsam vniuersalem formaliter loquendo, sed tum non intelligit ipsam, quatenus est vniuersalis formaliter, vt est euidens.

Et si quæras, per quem actum consideratur formaliter vt vniuersalis: Respondetur per illum, quo consideratur vt indifferens formaliter ad plura, ita, vt possit quantum est ex sua ratione formali reperiri tam bene in vno, quàm in aliis; quod non est intelligendum quasi illam eadem naturam, quæ concipitur abstracta à singularibus, deberet considerari, vt apta esse in pluribus cum multiplicatione etiam formaliter, quia ille conceptus esset falsus, & conceptus quo concipitur natura vt vniuersalis, prout debet esse vniuersalis, non debet esse conceptus falsus; sed intelligendum est sic, vt debeat considerari sub tali ratione, vt possit habere aliam naturam sibi similem, seu sic, vt non possit discerni per intellectum quin illa spectet ad quodcumque indiuiduum tam bene quam ad aliquod.

64. *Obiicies* contra primam partem huius conclusionis, si daretur à parte rei in quolibet indiuiduo vna natura, quæ sit vniuersalis & apta existere in pluribus, etiam ipsum indiuiduum posset existere in pluribus, quod repugnat: ergo non datur in quolibet indiuiduo talis natura. Probatur sequela maioris, quia quod prædicatur verè de natura indiuidui, potest prædicari de ipso indiuiduo; ideo enim possum verè prædicare de Petro, v.g. quod sit risibilis, quia risibilitas conuenit naturæ eius, & potest de illa prædicari: ergo si aptitudo illa existendi in pluribus conuenit naturæ Petri, etiam potest prædicari de ipso Petro.

Respondeo negando sequelam maioris, cum antecederet suæ probationis; neque, n. ideo præcisè prædicatur risibilitas de Petro, quia prædicatur de natura eius, sed quia vterius Petrus ex ratione sua formali non habet prædicatum oppositum, quod si haberet, tunc certe non prædicaretur de ipso simpliciter risibilitas, sed solum prædicaretur de ipso quatenus aut secundum quod homo. In proposito autem indiuiduo, v.g. Petro, ex ratione sua formali conuenit incommunicabilitas, ita vt si concipiatur vt indiuiduum tale, eo ipso debeat concipi conceptu, quo non possit concipi aliquid aliud, & consequenter nequit de ipso absolute prædicari communicabilitas, ita scilicet, vt quæ indiuiduum possit concipi conceptu, quo possit aliud representari.

65. *Confirmatur* hæc doctrina, & responsio Theologico exemplo, natura diuina Patris æterni habet tanquam prædicata sibi cōuenientia vere & realiter, sapientiæ, & comunicabilitatem tribus Personis realiter distinctis; ex his aut prædicatis de Patre, in quo vere realiter reperitur illa natura, non potest absolute & simpliciter prædicari comunicabilitas, neque enim Pater est comunicabilis tribus Personis; potest autem de ipso simpliciter prædicari sapientiæ, est enim vere sapiens; huius verò ratio non est alia, nisi quod Patri ex sua ratione formali cōueniat incommunicabilitas, quæ opponitur illi comunicabilitati; non vero cōueniat ipsi aliquid oppositum sapientiæ: ergo quandoquidem Petro v.g. cōueniat incommunicabilitas opposita comunicabilitati non poterit comunicabilitas de illo absolute & simpliciter prædicari, sed solum poterit de ipso prædicari secundum quod homo, aut quatenus homo, licet possit de ipso simpliciter prædicari risibilitas, cui ex ratione sua formali non habet aliquod prædicatum oppositum.

66. *Obiicies secundo*: si natura à parte rei esset comunicabilis, non posset fieri incommunicabilis; ergo non posset esse

Quo scilicet datur natura vniuersalis metaphysicè, à parte rei & quo non.

Quo actu vt vniuersalis.

Non intelligitur vt vniuersalis per omnem actum quo sit talis.

Quo actu consideratur vt vniuersalis.

esse singularis, quia per singularitatem fieret incommunicabilis. Probatur antecedens, quia ex eo quod natura humana est risibilis, non potest fieri, ut per aduentum alicuius, siue per se, siue per accidens aduenientis, reddatur hinnibilis, quia hinnibilitas opponitur risibilitati: & in hoc fundatur illud, quod dicit Scotus, nimirum quod quodcumque aliquid per se primo, aut secundo modo dicendi competit alicui, eius oppositum nullo modo possit competere ipsi.

Respondeo, concedendo antecedens, & negando consequentiam cum sua probatione, neque enim per singularitatem ipsa natura secundum se redditur singularis, ut possit de ipsa secundum se dici, quod sit singularis proprie loquendo; sicut enim natura diuina secundum se non fit persona, nec incommunicabilis ex coniunctione cum paternitate diuina, quæ facit cum natura diuina aliquid quod est persona & incommunicabile; sed non obstante coniunctione naturæ cum paternitate incommunicabili, adhuc natura diuina est communicabilis; ita natura humana secundum se non fit singularis, nec redditur incommunicabilis ex coniunctione eius cum Petreitate, quæ facit cum illa natura, aliquid singulare & incommunicabile; sed non obstante coniunctione eius cum illa singularitate manebit communicabilis.

67 *Dices*: Petreitas debet dare aliquem effectum formalem naturæ quam afficit & singularizat, non alium quam reddere ipsam incommunicabilem, ergo facit ipsam incommunicabilem, & consequenter non valet responsio data.

Respondeo, singularitatem non debere dare magis aliquem effectum formalem naturæ humanæ, verbi gratia, quæ paternitas diuina debet dare aliquem effectum formalem naturæ diuinæ, nec singularitas debet potius dare naturæ humanæ pro effectum formalem incommunicabilitatem, quam illa paternitas naturæ diuinæ: sed certum est paternitatem non dare naturæ diuinæ incommunicabilitatem pro effectum formalem, ergo nec singularitas debet dare incommunicabilitatem pro effectum formalem naturæ create.

Et si quæras, quem ergo effectum tribuit ipsi. *Respondeo*, quod non tribuit ipsi alium effectum formalem, quam facere cum ipso indiuiduum, quod indiuiduum quæ tale formaliter sit incommunicabile: sicut nec paternitas tribuit alium effectum formalem essentia diuinæ, quam constituere cum ipsa personam improductam, quæ sit incommunicabilis. Ex his habetur quod natura vniuersalis non distinguitur realiter ab indiuiduis, & quod consequenter nullus gradus metaphysicus repertus in re aliqua distinguitur ab aliis gradibus, qui reperiuntur in eadē re, ut verbi gratia, in homine animalitas à rationalitate, nec à risibilitate. An autem natura vniuersalis distinguitur formaliter à singularitate, & gradus alij metaphysici à se inuicem, patebit ex dicendis in Metaphysica, disputatione de distinctionibus, in qua parte affirmatiuam resoluemus.

QVÆSTIO VI.

De Vniuersali Logico.

CONCLUSIO I.

68 *Vniuersale logicum bene describitur esse unum aptum predicari de multis.* Ita communis omnium sententia cum Philosopho 1. Perib. c. 5. & patet explicando singulas particulas.

Per unum intelligitur id quod intelligebatur per unum in definitione vniuersalis metaphysici. Per aptum intelligitur potestatem proximam per predicari intelligitur prædicatio vera formalis & directa. Per de multis intelliguntur multa illa, quibus cum sui multiplicatione inexistit.

Ex quibus patet Vniuersale logicum debere esse aliquid reale positium, per se vnum, habens potentiam proximam, ut possit prædicari verè & formaliter de pluribus, quibus cum sui multiplicatione inexistit. sicut autem diximus quod vniuersale metaphysicum est concretum dicens duo, vnum materialiter, nimirum rem illam, quæ dicitur vniuersalis, & aliud formaliter nimirum ipsam vnitatem & aptitudinem, quæ constituitur in esse vniuersalis: ita etiam de vniuersali logico sentiendum est, quod dicat duo, vnum materialiter, nimirum

ipsum vniuersale metaphysicum, & alterum formaliter, nimirum illud, quod constituit & facit illud vniuersale logicum; & in hoc fere omnes conveniunt, & qui id negaret, excitaret tantum quæstionem de nomine, à qua semper, quantum fieri potest, cavendum est, quia non potest conducere ad cognitionem rerum in se.

69 Conveniunt præterea omnes quod vniuersale logicum constituatur, & fiat per actum aliquem intellectus, sed controuertitur per quem actum. Pro quo advertendum duplicem admitti intellectum ab auctoribus, siue inter se realiter distinguantur, siue solū formaliter, unus vocatur intellectus agens, cuius munus est producere speciem intelligibilem impressam, quæ species cum intellectu concurrat ad producendam cognitionem obiecti (de quo tamen tyrones hic non debent esse solliciti, donec perueniant ad libros de anima) Alter intellectus vocatur patiens seu passibilis, cuius munus est cognoscere res.

Advertendum vterius vtrumque hunc intellectum dici abstrahere naturas vniuersales ab inferioribus; intellectus enim agens dum producit speciem impressam, naturam præsentare naturam, secundum se, non representando aliquid singulare, dicitur eo ipso abstrahere illam naturam à singularibus; nec aliud intelligitur per abstractionem naturæ factam ab intellectu agente, quam productio huiusmodi speciei intelligibilis impressæ representatiuæ naturæ, & non singularium. Intellectus verò passibilis, seu patiens dicitur abstrahere naturam à singularibus eo ipso, quo intelligit naturam, ut natura est, non intelligendo ipsam in singularibus, quomodo vix dubium esse potest, quin ipsam quandoque intelligat; id enim videtur propria experientia constare cuiuslibet. Præter huiusmodi autem abstractionem & abstractionem potest intellectus cognoscere naturam in singularibus, & hoc duobus modis: primò per apprehensionem, solummodo apprehendendo naturam inexistentem singularibus, nec tamen iudicando quod sit in illis; sicut apprehendimus aliquam propositionem, verbi gratia totum distingui realiter à partibus, non iudicando quod distinguatur, vel non distinguatur: alio modo per iudiciū, positiuè iudicando quod natura sit in singularibus illis. Vtraque autem hæc cognitio naturæ in singularibus est comparatiua quia est cognitio vnius cum ordine ad aliud, nimirum naturæ cum inexistētia & identitate eius in suis inferioribus: sed prima vocatur comparatio simplex, & pertinet ad primam operationem intellectus, cuius est apprehendere res absq; iudicio: Secunda cognitio ad differentiam primam vocatur cōposita & iudicatiua, quia fit cum iudicio, seu potius est iudiciū: & si habeatur absq; discursu, spectat ad secundam operationem intellectus, si cum discursu, spectabit ad tertiam operationem. His suppositis, quæ perfectius intelligentur post auditū tractatū de anima.

70 *Prima sententia* est, Vniuersale logicum fieri per abstractionem intellectus agentis, hoc est per productionem speciei impressæ representatiuæ solius naturæ absque interuentu vllius cognitionis intellectualis; & dico intellectualis, quia absque cognitione aliqua sensitua nequit produci per intellectum aliqua species pro hoc statu propter dependentiam intellectus in operationibus suis à sensibus. Hanc tenet Scotus quæst. 3. Vniuersal. Fland. 3. Metaph. quæst. 3. fauet Sanctus Thom. 1. p. quæst. 85. art. 1. Fons 5. Met. cap. 28. quæst. 6. Massec. 2. q. 5. Sanctius quæst. 34.

Secunda sententia est fieri vniuersale logicum per abstractionem intellectus passibilis, hoc est per illam cognitionem, qua intellectus intelligit naturam secundum se, non intellectus inferioribus. Hæc est Dur. 1. dist. 3. q. 5. Tolet. q. 2. Vniuersal. fauetque D. Thom. 1. part. 9. 85. art. 2. qui consequenter tenere debet vniuersale non fieri per actum comparatiuum intellectus, seu per cognitionem comparatiuam siue simplicem, consistentem in apprehensione naturæ in pluribus; siue cōpositā, consistentem in iudicio, quo iudicatur naturam inexistere pluribus.

Tertia sententia est naturam fieri vniuersalem per actum intellectus passibilis, non tamen per actum, qui est abstractio naturæ, ut tenuit præcedēs sententia, sed per actum

Natura vniuersalis abstrahitur à singularibus per intellectum & agentem passibilem.

Dupliciter comparatur natura ad singularia.